



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Handleitung Zu leichterem Gebrauch Der Geist- und Sittlichen Unterrichten In Ewigen Wahrheiten

**Calino, Cesare**

**Augspurg ; Graez, 1744**

**VD18 80280064**

Dominica Paschatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49389](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49389)

## DOMINICA PASCHATIS.

1.

*Surrexit; non est hîc. Marc. 16.*

Resurrectio Domini faciliat fidem, roborat spem, inflamat charitatem nostram. *Mense XII. Disc. 349. pag. 231.*

2.

*Surrexit. Marc. 16.*

Justissima est universæ Ecclesiæ lætitiâ in Resurrectione Christi: victus infernus est, mors debellata, fides triumphat. Verum non solam terram resurrectio Christi lætificat: subterraneos quoque specus implevit gaudio, dum SS. Patres ex limbo liberavit. *Mense XII. Disc. 348. pag. 214.*

3.

*Surrexit; non est hîc. Marc. 16.*

Postquam resurrexit Christus, sola in sepulchro reliquit linteamina, quibus erat involutus: nihil de se reliquit, totus resurrexit: non est hîc. Sic Peccatores debent resurgere, ut nihil non expurgatum relinquunt: reliquerunt in S. Tribunali peccata, quibus fuerant involuti: nihil relinquunt etiam de reatu pœnæ, sed post Confessionem solliciti sint, ut pœnas quoque peccatis debitas per exactam satisfactionem expugnant. *Mense II. Disc. 36. pag. 70.*

4.

4.

*Quis revolvat nobis lapidem? Marc. 16.*

Condonanda est sanctis mulieribus anxietas sua, quam habebant propter lapidem sepulchri; erat quippe magnus valde, ipsæ autem teneræ ac debiles vincendæ difficultati non erant pares. Quis autem excuset Christianorum quorundam ignaviam, qui quidem resurgere cum Christo volunt, peccata sibi vel remitti cupiunt, vel de remissis gaudent, sed mediocrem pœnitentiam à Confessario sibi injunctam refugiunt: *Quis revolvat nobis lapidem?* Cùm nulla par peccatis injungi pœnitentia possit, ostendit se non verè esse pœnitentem, qui injunctam pœnitentiam persolvere recusat. *Mense III. Disc. 88. pag. 578. usque ad num. 7.*

5.

*Valde mane una Sabbatorum veniunt ad monumentum, Marc. 16.*

Ardentissima erat piarum mulierum in Christum charitas: somnum abrumpunt, egrediuntur, vix orto sole jam ad monumentum stant, & charitatis suæ præmium accipiunt angelicam visionem. Quàm longè ab illis abest quorundam tepor, qui vel ideò modicum ex peractis confessionibus fructum percipiunt, quia semel expiati nimium procrastinant ac differunt alteram confessionem. *Mense III. Disc. 89. pag. 599. usque ad num. 9.*

DOMI-